fixo procumbens, lineas non ſemper ducit ad cor Crucifixi, ſed jam ad ciſtam auro & argento plenam, jam ad ædificia, agros, hortos, prata & ſilvas, jam ad alia mundana oberrat. Simile apparet laſcivientibus & per plateas diſcurrentibus puerulis, qui, luſibus ac gerris aſſuefacti, intra ſcholam compelli, & ſedendo quieſcere vix poſſunt; aut ſtellis ſcintillantibus, ac ſurſum & deorſum diſpergentibus radios. Adunatum oportuit cor Deo Pſal. LXXXVI. 11. Sed huic coadunationi ſalutari omnium maximè τῇ φύσει reluctatur, luxuriat, fatiſcit & hiaſcit, melioris diſciplinæ impatiens, quovis Proteo mutabilius, quovis Vertumno inſtabilius, quovis Mercurio mobilius atque fagacius. Sacræ profecto literæ non dubitant hominis nondum renati cor comparare duro lapidi, rudi trunco, interdum etiam feræ indomitæ, haud certè id ſibi volentes, quod homo poſt lapſum non ſit amplius creatura rationalis; aut, quod opus converſionis ſine omni ſenſu peragatur, quemadmodum truncus violentô impulſu provehitur; aut quod homo ſine labore & luctа convertatur, ceu lilia non laborantia, non luctantia creſcunt: ſed ad innuendam ejus nativam in ſpiritualibus ac penitiſſimam inidoneitatem, cum nativa hoſtilitate erga Deum & cum obluctatione inſitâ ac hæreditariâ conjunctam. Quin eatenus homo miſer deterior eſt trunco ac lapide, quatenus hæc minime repugnant. Operoſus eſt hic vetus Adam; nec otium ſubinde vel renatis facit intimis infixa medullis corruptio. Ubi enim ſeſe numero perfectorum ineſſe credunt; incipientium ſubire claſſem ac repetere tenentur. Ubi victoriæ ſeſe proximos putant, iteranda & ab ovo quaſi inchoanda veniunt prælia. Auxilia gratiæ aſſiſtentis, hoc eſt, incipientis, præparantis, intimè operantis, excitantis & perficientis; ſed & auxilia gratiæ inhabitantis jamjam à nobis mediante Verbo & Sacramentis abunde percepta fuerant; & ecce! languore noſtro perdita caro & inſidians Satanas rem ſæpius eò deducunt, ut ad ſper-